



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 101. De Henrici Regis vita & virtutibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. inspectum est, quod die vigesima nona  
 A. C. 1610. Junii ad oppidum Sancti Dionysii trans-  
 latum in Majorum sepulcro recondeba-  
 tur, corde ejus ad Societatis Colle-  
 gium Flexiense translato.

§. CI.

*De Henrici Regis vita, & vir-  
 tutibus.*

*Abrege de  
 l'hist. Eccles.  
 tom. 10.  
 art. 3.  
 Calmet hist.  
 Univers.  
 lib. 151.  
 Daniel hist.  
 de France  
 tom. 10.*

Erat Henricus inter nominis hujus Gal-  
 liarum Reges Quartus, quinquage-  
 simo tertio prioris sæculi anno natus  
 a Calvini Sæctatrice Matre sua Joanna  
 Albretana Calvinianos inter errores,  
 quos postea ejurabat, educatus: Ade-  
 leverat inter adversæ & prosperæ for-  
 tunæ vicissitudines, interque civiles tu-  
 multus, quibus tenentibus stupenda  
 prorsus bellica fortitudine sese in me-  
 diam hostium aciem centies & quadra-  
 gesies dux idem & miles, nec aliena  
 sed propria sua lauream decerpens ma-  
 nu, immiserat, trecenta oppida ob-  
 sidione cinxerat, nunquam ab armis,  
 per annos tres & triginta discesserat, quin  
 ex hac bellandi consuetudine animi fe-  
 rociam contraheret, sed potius pri-  
 mævo naturæ beneficio inditam auge-  
 ret clementiam, qua omnes suos sub-  
 ditos velut Pater, universum vero Re-  
 gnum tanquam Paterfamilias com-  
 plecte.

plectebatur. Hæc benefica naturæ in-  
 doles eum semper ex ipso voluptatis  
 gremio ad indefessum populi sui felicitati,  
 ac Regni sui incremento invigilandi stu-  
 dium revocabat: Eminuit præcipue  
 rara ejus prudentia in singulari animos  
 sibi devinciendi dexteritate, qua Catho-  
 licis ita favebat, ut Hugonottas tamen  
 non sibi magis infensos redderet. Enim-  
 vero haud alius, quam magnanimus  
 ille Henrici animus omnes vitæ & for-  
 tunæ varietates tolerare ac regere,  
 necnon tot inter factionum procellas  
 præsertim fervente contra Hispanos bello  
 Galliam componere, & placare, eam-  
 que e fummis ereptam calamitatibus ac  
 periculis in pristinum decus restituere  
 potuisset. Deprædicatur quoque ejus  
 clementia, qua inimicis, privatis æque  
 ac publicis, non minus libenter quam  
 constanter, quandoque non sine Regiæ  
 auctoritatis suæ dispendio, ignovit, nec-  
 non Regni sui Proceres, quos initio ad-  
 versos habuit, sensim beneficiis deli-  
 nivit. Non minus etiam Religione ac  
 pietate inclaruit, eamque omni occa-  
 sione verbis & factis tueri non destitit,  
 cujus gloriæ ita studebat, ut hoc ipso  
 anno professus sit, se, quicquid ageret,  
 etsi non nihil pacis publicæ studio hæ-  
 reticis indulgere videretur, ad Religio-  
 nis defensionem atque incrementum re-  
 ferre:

Sæc. XVII.  
 A.C. 1610.

Sæc. XVII. A. C. 1610. ferre: Hæ igitur virtutes, ac fortunæ  
 favores in hoc Rege conspirantes Magni  
 eum titulo dignum reddidere, qui post  
 ejus obitum communi omnium etiam  
 exterorum consensu ei fuit adscriptus,  
 pii autem Principis nomen suorum po-  
 pulorum lacrimis potius, quam inscri-  
 ptionibus, atque elogiis in ejus memo-  
 riam concinnatis confirmatum est: Nec  
 tamen magnus ille Rex, humana pas-  
 sus, caruit nævis, qui haud parum  
 præclaras hæc dotes, earumque splen-  
 dorem obtenebrabant: nimium publica  
 erat ipsius incontinentia, ut dissimulari  
 posset: quippe ex quatuor Matronis,  
 quas perditæ amabat, octo proles spu-  
 rias susceperat, vagæ etiam libidini  
 sine ulla crimen celandi sollicitudine  
 deditus, unde Procerum suorum non  
 pauci hunc honestatis contemptum  
 velut vere Regiam & eminentem liber-  
 tatem deprædicabant, atque imitatio-  
 nis ardore per ipsum delinquentium  
 numerum crescente, passim absque ru-  
 bore amatoriiis levitatibus indulgebant.  
 Tantum habet virium ad corruptelam,  
 in summa Potentia, pravitas exempli,  
 cum præsertim præter impudentiæ vi-  
 vam illecebram, etiam Principis au-  
 thoritas accedit, ut quod privatum an-  
 tea nefas erat, id deinceps mos publi-  
 cus dicatur, quodque libido fuerat,  
 sensim

fenfim mos patriæ fiat. Ceterum ipse-  
 met Rex non raro suam damnabat im-  
 becillitatem, nec de hoc vitio liberius  
 illum increpantibus indignabatur, minus  
 vero permittebat, ut mulieres illæ, quæ  
 non sine conjugalis fidei dispendio in  
 Regium cor, suum exercebant Domi-  
 nium, de selectu Ministrorum, aut de  
 forte suorum famulorum, aut de sen-  
 tentiis sui Senatus deciderent. Infimu-  
 latur etiam de nimia ludendi cupiditate,  
 mansuetudine in ignaviam degenerante,  
 & avaritia Regiæ Majestatis indigna.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1610.

§. CII.

*Regina in Regni Administratricem  
 renuntiata.*

Reliquerat Henricus Rex ex Maria  
 Medicea secunda uxore sua præter  
 tres filias totidem Filios, ex quibus  
 Ludovicus XIII. natu major nondum  
 novem annos natus capeffendis Regni  
 habennis impar erat: quocirca eadem  
 adhuc die, qua Rex trucidabatur, om-  
 nes Curiæ ad Conventum Augustinia-  
 norum convocantur, quibus congre-  
 gatis Espernonius Dux exposuit, quod  
 Regina sibi Regni administrationem  
 committi postulet: His dictis Dux ma-  
 num gladio suo admovens, *adhuc*, in-  
 quiebat, *in vagina hæret, quem tamen,*  
*nisi*

*Joann. Serres hist. Reg. Franc. Rigault l. 3. p. 289. Abregé de l'hist. Eccl. art. 3. §. 13. Hist. du Parlem. cap. 44.*